

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Promptvarii exequialis pars ...**

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive  
scripturae dicta varia ...

**Bidembach, Felix**

**Francofurti, 1625**

Thema CXII.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

Qui cogitat verbum otiosum, venturum in iudicium, frænabit linguam.

Qui cogitat reddendam rationem de omni facto, cauebit ne male agat.

*Et qui gehennam præ oculis habet, in gehennam nõ cadit.*

Exemplis res fiet manifestissima, de quibus ipsa scriptura monet.

1. Qui enim mortem & iudicium extimescit, non erit difficilis erga proximum. Matth. 5. v. 15. reconciliabitur dum in via est. Syr. 28. Desine inimicari. Ratio. Memento nouissimorum. Vide plura ibi ab initio capituli, vsque ad vers. 8.

2. Qui memor est mortis, non desiderabit cumulare opes malis artibus, sed memor etiam erit egregie illius similitudinis. Ier. 17. v. 11. Sicut avis fouit oua, quæ non excludit, &c. Et illius diuitis, Luc. 12. v. 20. Stulte.

3. Tandem si maxime peccauit aliquando immemor mortis & iudicii, tamen vbi cogitauerit de fine & ira ventura in nouissimis, Syr. 18. v. 24 &c. non differet conuerti ad Dominum. Ibid. v. 22.

Summa, qui de morte & sequuturis mortem nouissimis, sæpe multumque cogitat, in aduersis & secundis rebus tenebit modum, memor dictorum Syracidis, cap. 12. v. 17 & 20. Syr. 18. v. 25 & 26.

Paret hinc, ad extremum, quantum periculum imminet his, qui nec ipsi de morte cogitare, nec alios de his rebus verba facientes audire volunt: Existimantes non prius de his dicendum, quam hora mortis instet. Iucundiora interim tractanda sic itaque securi peccatis indormiunt, atq; morte præuerti pereunt in impeditentia.

F I N I S.

T H E M A C X I I.

Syr. 8. v. 8.

*Noli de mortuo inimico tuo gaudere, sciens quod nobis omnibus moriendum.*

Z 4 DIS.

## DISPOSITIO.

Admodum ingrata filiis huius seculi erit, hæc Syracidæ admonitio, qui non vult nos gaudere de morte inimicorum nostrorum: cum hoc vnicum nobis videatur contra omnes hostes & inimicos nostros restare solatium, quod speramus, nos aliquando iniuriam illatam vturos: vel tamen olim extinctos illos cum gaudio viuros, vel audituros. Variè autem hac in parte peccatur: dum pro hostibus habemus, & extinctos cupimus eos, quos vel viuos & diu superstites optare, vel tamen de aduersis illorum casibus, adeoque etiam morte eorundem non gaudere debebamus: interim vero perniciosissimorum hominum, quos execrati debemus, mortem nec exoptamus nec curamus. Dicendum igitur occasione huius textus: Quinam nobis ipsi esse debeant, qui non & quos extinctos optare debeamus, vel non.

## I. Pars.

Primum autem dicendum de his quos plurimi in hoc mundo pro inimicis habent, præter omnem rationem, quosq; extinctos cupiunt magis eum offensa Dei: cum nec inimici sint, nec hæc vita indigni.

1. Tanta enim huius seculi corruptio, vt pleriq; hodie, omnes eos, quos reueteri & timere coguntur, extinctos cupiant, & pro inimicis habeant.

Hinc multi oderunt Magistratus, non summos tantum, sed & hos, qui ab ipsis, vt habet Petrus, 1 pet. 2. v. 14. missi vel delegati sunt.

Sic rustici plerique suos Schultetos, ciues suos præfectos, &c. alii alios oderunt. Multi ministros Ecclesiæ & Pastores suos, qui acerbè inuehuntur in flagitia auditorum oderunt & cupiunt extinctos.

Sic discipuli suos præceptores optant. mortuos videre quam viuos. Imo liberi quoq; inobedientes suos parentes &c. Famili heros quoq; suos, &c. ¶

2. Alii hos quoq; oderunt, quos coguntur alere, vt cum

cum liberi parentib. ad pauperatē redactis debent sup-  
 peditare *permissa*: Ideoque illos extinctos cupiunt &c.  
 Imo & hos quoq; à quib. aliquid hereditatis expectant,  
 nonnulli cupiunt mox extinctos: si maxime cognati lan-  
 guine iuncti fratres, sorores. Imo interdum si ipsi paren-  
 tes sint Inmemores dicti illius Prouerb. 20. v. 21. *Da-  
 alle die müssen unsere Feind sein / die uns jeren / und ja  
 long vnter den Augen vmbgehen.* Hoc deplorat Christus  
 Math. 10. v. 36. Inimici hominis sunt domestici. Hęc ma-  
 gna & fulmine digna est impietas, erga Magistratus,  
 Ecclesiæ Ministros, parentes, & alios, contra 4. præceptum  
 Decalogi. Et cui Deus graues illas minatur pœnas, cū ex-  
 terna quoq; infamia consuctas, Prou. 30. v. 17. Deu. 21. v. 18.

Quod si viri tantum honi, nec cōiuncti sanguine sint,  
 qui nobis sunt præfecti, non cupiamus extinctos, quia  
 pœna pars maxima est si illi auferantur, de quibus Esa. 4.  
 v. 2. & 3. Et Magistratu atq; ministris Ecclesiæ & similib.  
 non minus ægre carere possumus, quam aqua & igni: nisi  
 velimus experiri id Amos 8. v. 11. & 1. Sam. 2. ver. 1. & *tra-  
 ual de Ihu* atque confusionem illam, de qua Eccl. 10. v. 18.  
 Jud. 2 v. 19. & 21. v. vltimo, in fine libri.

Deinde vero veniamus ad eos, de quibus hic Syrach;  
*Ne de inimicis quidem gaudendum.* Hic enim, de quib. di-  
 ximus, pro inimicis non sunt habendi. At si maxime sine  
 inimici, ramen non gaudendum, si vel morte abripiantur,  
 vel aliquid aduersi patiantur. Sed alios inimicos no-  
 bis facimus.

Inimici autem sunt 1. à quibus sumus læsi: vt Joab Ab-  
 nerum inimicum habet, qui occidit fratrem, licet iniu-  
 tus, 2. Sam. 2. v. 23. Vel à quibus læsos nos esse putamus  
 vt Esau Jacobum odit, quem putat sibi eripuisse benedi-  
 ctionem, &c. Gen. 27. v. 41. 3. Vel quibus inuidemus. Sic  
 fratres Josephi. inimici sunt ipsi, cui inuidet, Genes. 37.  
 v. 4. & 8. & Eliab Davidis frater, 1. Sam. 17. v. 28.

Quamuis autem casus duo. posteriores recitari non  
 debeant nobis quenquam iniuriam facere; posito ramen

casu, esse illos inimicos veros, & nos lætos ab illis satis enormiter, sicut Dauid à Saule & Ioseph à fratribus; tamen nec illis quidem defunctis lætandum: nec viuis optandum vt pereant. Sunt enim inimici quoque diligendi, Matth. 5. v. 43. Rom. 12. Et dolendum si mali aliquid patiantur cum Dauidè Psal. 135. v. 13. Id enim lex charitatis requirit. Et Diabolus est *empeingre*. Hoc vitium à Christianis longissime abesse debet.

Huc pertinent illa Iob. 31. v. 29. Prou. 24. ver. 17. & 18. Prou. 17. v. 5. Syr. 27. v. penult. in versione latina.

Exempla non gaudentium de morte inimicorum, sunt Dauid audiens de obitu Saulis. 2. Sam. 1. v. 12. & Absalonis, 2. Sam. 13. v. 33. Iulius Cæsar de morte Pompeii, & Alexander de morte Darii audiens.

Contra Simeï Dauidi viuo insultat. Sed non impune, 2. Samuel. 16. v. 6. 1. Reg. 2. v. 45.

#### I. Pars.

Est tamen genus hominum & inimicorum, quibus mortem imprecari, & de quorum morte gaudere licet.

Exempla imprecationis talis sunt, Psal. 9. v. 18. Psal. 59. v. 14. & Psal. 68. v. 2. Psal. 69. v. 23. Hier. 20. v. 12. Hæc ex Spiritu Dei sunt. Exempla lætantium. Angelus ipse Domini nuntians cum gaudio Iosepho mortem Herodis, Matth. 2. v. 20. De hoc Psal. 58. v. 11. Vide bic iustus & lætabitur, Et Psal. 91. v. 8. & Psal. 64. v. 10 & 11. Israel videns Ægyptios, Exod. 14. v. 29.

Ex dictis patet, de quorum hostium morte gaudendum: scilicet de illorum morte, qui non sunt nostri hostes priuari, sed hostes Dei. Ideo Syrach: Non gaude de morte inimici T v i. At alia ratio est de his, qui sunt hostes Dei, de quibus Psal. 139. v. 22. Perfecto odio odi eos. Tanta autem est peruersitas mundi, vt tales plerique venerentur, & in pretio habeant, quos odisse debebant propter Deum. Siue quod ab iis aliquid expectent commodi, siue quod tanquam Væ Ioues adorent, ne noceant. Sic

TH  
Sic Haman  
vero non. S.  
1 Paral. 19  
quod ex affe  
Dei. Zelus  
prouatus.

Dispositio  
Pomptuar  
2276.

A De  
perit

Erant  
Manete  
men patr  
uclia ho  
schippi  
mum. A  
Hic M  
flum. Syr  
charorum  
inorum  
fium bor  
fentia  
me Dia  
Eliu

Sic Hamanum olim venerabantur, Est. 3. v. 2. Mardochai vero non. Sic peccat Josaphat non odio habens Achabū, 2 Paral. 19. v. 2. Sobrie hæc intelligenda, vt non fiat aliquid ex affectu. Nec misceatur priuata causa, cum causa Dei. Zelus enim pius & prudens esse debet, non affectus priuatus.

F I N I S.

## THEMA XCIII.

Syr. 10. v. 9.

*Quid superbit terra & ciuis?*

Dispositionem huius Thematis vide supra in I. parte Promptuarii, in appendice Classis VI. Num. XXXI. Pagina 526.

## THEMA CXIV.

Syr. 11. v. 14.

*A Deo sunt omnia, bona & mala, vita & mors, paupertas & diuitie.*

## D I S P O S I T I O.

Erant circa annum Christi 280 hæretici, ab authore Manete dicti Manichæi ( cui hæresi Augustinus ille, lumen patrum, ante conuersionem additus erat ) qui inter alia hoc etiam statuebant, duo esse æterna principia, vel proprie dicendo, duos Deos, vnum bonum, alterum malum. A bono esse omnia bona A malo omnia mala.

Huic Manichæorum opinioni repugnat præfens dictum Syracidis. Quamuis autem, per Dei gratiam Manichæorum veterum hæresis extincta sit: videtur tamen interdum rationi humanæ illa hæresis ( quantum ad initium boni & mali attinet ) verior quam ipsa Syracidis sententia. Quodcunque enim malum sentimus, illud omne Diabolo, tanquam malo principio adscribimus.

Et si rationem consulamus de hoc pronuntiato sapiētis